

Capta

¶ Quod respondeatur ambaxatoribus communis Pisarum cum pulcris verbis quomodo inter comune et homines Veneciarum et comune et homines Pisarum magna dilectio et fraternitas semper extitit observata a tempore quo non extat memoria, que per conversationem gratam, favorablem et laudabilem hinc inde cum honore partium recipit incrementum, sicut est manifestum. Quam dilectionem et amorem intendimus more nostrorum predecessorum omni tempore amicabiliter conservare, desiderantes eorum semper statum prosperum et augmentum ac dispositi grata mente ad eorum beneplacita et honores. Set super eo quod petitur, considerata conditione et qualitate negotii, cum non videamus quod per nos convenienter fieri aliquid possit in facto predicto seu quod posset prodesse, placeat eis nos habere rationabiliter excusatos; et teneant pro firmo quod eorum bonum et prosperum statum tamquam proprium omni tempore reputamus.

Venezia - Senato, Deliberazioni miste. Registro XX (1341-1342), n.28.

Istituto veneto di scienze, lettere ed arti, Venezia 2004, p.11.